

DISSERTATIO PHILOSOPHICA;

De

# SENSIBUS INTERNIS,

*Quam*

SUMMO NUMINE GUBERNANTE,  
 Ampl: Collegio Philosoph. in inclyto ad  
 Auram Athenæo comprobante,

P R Ä S I D E,  
*VIRO Amplissimo,*

M. PETRO HAHN,  
 Physices Prof. & Biblioth. Regio  
 & Ord. celeberrimo,

publicæ placidæq; Sobriè Philosophantium ac  
 cordatorum censuræ modestè submittit

S. R. M. Alumnus

SVENO N. GUZELIUS,  
 Wex. Smol.

*In Audit. Max. ad d. si DEO videatur. 30 Maji.*

A. M.DC.XCVI.

---

ABOÆ, Impr. apud Jo. L. WALLIUM.

# СИЯТЕЛЬ

Богатырь, волхв, мудрец  
и пророк в одном лице.

Сиятель, волхв, мудрец  
и пророк в одном лице.

ΣΤΥΓΧΑΡΜΑ,

Peregrinio ac Eruditissimo Juveni,

Dn. SVENONI GUZELIO,

Wexionia Smolando,

Literarum Sacrarum Studioſo indeſto, cum voto & appreca-  
tione dicatum.

**L**onginquas multi terras meditando perer-  
rant,

Ingenii ſpecimen denique qvando das-  
bunt.

Verum hic GUZELIUS, qvæ promtè ac ordine  
dicat,

Ingenio in Proprio qvit reperire tuo.

SENSUS INTERNOS Hominis deſcribit, &  
illis

Laudes condignas commodat ipſe ſuas.

Hoc tanto qværit mentis conamine vires

Ingenii promtas prodere, qvando par eſt.

Gratulor hiſce tuis, GUZELI, talibus aufis,

Apprecor & cæptis omnia fauſta tuis!

Proderit id Patriꝝ ſtudium, tibi proderit ipſi;

Concedatqve tibi Proſpera cuncta DEUS!

*L. mg. ſcripſit*

**PETRUS LAURBECCHIUS**

S. S. Th. D. & Profesioꝝ

Primarius.

Viro Juveni

Literis Moribusq; deditissime,

Dn. SVENONI GUZELIO,

De *Sensibus Internis* proprio Marte disserenti, Amico & Commiliti dilecto:

**S**ensibus internis, naturæ providus  
Autor,

qvales indiderat vires, quantumq; vigoris,  
Detegis eximio discursu, docte GUZELI.

Qvomodo ab externis, species assumere suetis,  
Sensibus, ex illis etiam Phantasmata pulchra,  
efformare solent ; qvæ depurare laborat  
Intellectus agens, ex hisce noemata singens ;  
unde datur demum rerum intellectio certa ;  
solers rimaris ; cœptis benedicat Olympi  
Rector inaccessus ! fausto pede progre-  
diare !!!

L. Mq; qvamvis festinate  
ad gratulabas

SIMON ΣΑΛΩΠΟ/

Met. & Log. Prof. Ord.

P. P.

¶ I ¶  
Summi Numinis Gratia!

# CAPUT PRIMUM.

## §. I.

**N**eritate sua non minus quam antiquitate & constanti Philosophorum consensu, adeo nobilis est divisio illa sensuum, in externos ac internos, ut ignorem an ullius accuratioribus dubia eadem occurrere possit meditationibus; ut enim, quod vel potioribus destituitur sensibus externis animal, non parum amisit perfectionis; Ita si interioribus idem non beare dignata esset natura, multum infra proprium suum fastigium poneretur. cum parum prodeisset sonum auditu, colorem visu, saporem gustu, rem tactilem tactu, odorem denique percipere olfactu, nisi ope organorum nervorumq; huic officio destinatorum, deferrentur species a sensibus externis ad sensum communem, de quibus examen & judicium, quod sensus externi

facere nequeunt, instituit, colorem à sapore, sonum ab odore distingvendo. Impossibile namque est visum judicare posse de saporibus, aut auditum de coloribus, ceterisque ad alios sensus pertinentibus imaginibus. Indè nexu quasi necessario fluit hoc opus sensui competere communis. Quo sublato, omne etiam ut tollatur judicium necessum est. Cum nullo modo vel Phantasia, vel in hominibus facultas intelligens immediatè à sensibus externis species eorum ad se accersere possent, nisi per *sensum* hunc, quem appellamus *communem*.

### §. II.

Sed quoniam sensus hic communis, leviter tantum, sineq[ue] notabili aliquaque mora, species sibi communicatas examinet & à se invicem discernat, ideo, quò melius desiderio fiat satis animalium, providæ visum est naturæ, eadem adhuc nobiliori munire privilegio, addendo Phantasiam, cuius ope accuratius instituitur examen, non

non solum specierum à sensu communis  
communicatarum, sed & illarum, quas  
proprio marte fingit, ut in sequenti-  
bus capitibus & quidem specialioribus,  
ad oculum, ut spero, patebit.

### §. III.

Numerum sensuum interiorum quod  
concernit: tum deprehenditur ille apud  
Philosophos nonnullos minor, apud al-  
ios verò major: inter illos, qui nume-  
rum illum minuunt, præcipue suum  
profitetur nomen David Gorlæus in  
Epit: Prys: cap: II. Dist. 6: ubi adserit,  
quod discrimin facere inter varia exter-  
norum objecta sensuum non sit animæ  
sentientis sed intelligentis, unde omnem  
prosperius ejusmodi objectorum distinctionem  
brutis denegat animantibus, cum  
potentiâ careant reflectendi super suam  
ipsius actionem, quod sola facit facultas  
rationalis. Sed omnino nobis certam  
sensus communis persuadent existentiam  
propriæ suæ ipsius, nec aliis potentissimis  
competentes, operationes, nempe judi-

cium de imaginibus impressis tantum superficiarium, qvod præstare nec potest anima sensitiva immediate, cum non sit immediatum actionum suarum principium; nec id possunt sensus externi, ob rationes modo allatas. Phantasiæ autem illas esse operationes haud facilè concedes. Licet enim sensuum extenorū recipere species, easdem examinare & dijudicare, non minus sit opus Phantasiæ, qvam sensus communis; nihilominus tamen huic ex specierum coniunctione, nova formare phantasmata denegavit natura, illi autem idem concessit. Sensus communis præsentia tantum intuetur, Phantasia non solum præsentia ruminat, sed etiam ad absentia suas extendit vires. Phantasia etiam in somno laborat, qviescente sensu communi. Nec video satis firma Argumenta, quibus ostendi possint bruta non cognoscere se videre, audire, olfacere, ceteraque objecta sensus incurrentia precipere, cum id omnino evincere videantur illorum operationes. Arrigunt enim

enim aures, aperiunt oculos, sentiuntq; dum vapulant, grata seqvuntur, illa autem quæ sibi sunt molesta, fugiunt. Et sanè intra nimis angustos terminos mihi videntur gradus cognitionis universaliter spe-  
ctatæ coarctare illi, qvi eandem solis creaturis ratione præditis tribuen-  
dam esse existimant; cum non pror-  
sus careat fundamento illa distinctio,  
qvâ alia cognitio dicitur intellectualis,  
alia sensualis, alia denique naturalis.  
Qvarum illa recte vendicatur creatu-  
rarum nobilissimis, hoc est, rationis compotibus, ista animalibus rationis expertibus, hæc autem utpote infima rebus vel omni sensu destitutis.

#### §. IV.

In medium hactenus est produ-  
cta sententia illorum, qvi numerum sen-  
suum internorum eunt minutum. Ul-  
terius itaqve videndæ sunt rationes il-  
lorum, qvi numerum eundem augent,  
addentes numero huic binario vel poten-  
tiam qvandam, qvam appellant *Æstima-  
tivam* vel ipsam qvoque *memoriam*. Ad-

eo-

eoque qvibusdam duos esse sensus internos, nonnullis tres, aliis quatvor, ceteris unum tantum, est persuasum. Qvi potentiam estimativam peculiarem constituere sensum opinantur, putant illam peculiare habere objectum, nempe speciem, qvæ nunquam fuit in sensibus externis, ut e. g. Ovis, viso lupo, habet non solum imaginem ipsius lupi, sed etiam sentit inimicitiam illam, qvæ est inter se & lupum. Sed ejusmodi discursum, quo transiturâ noto ad ignotius, competere statuimus soli facultati intelligenti. Qvod autem ovis fugiat lupum, pullus accipitrem, mus felem: vel quod etiam typos nidorum & domuncularum contuentur aves apesque, dum favos construunt, & nidos componunt, non acceptum referendum est facultati imaginativæ solum, qvandoqvidem hanc in Phantasia sensationem causantur instinctus naturales; fateri namque necessum habemus peculiarem corporis atq; organorum dispositionem, variam in Phantasia excitare senlationem.

Qvod

Qvod utique in capite tertio fortè explicare ulterius dabimus operam. Nec memoriam in numerum sensuum venire certum est; siquidem alienum est ejus officium ab officio sensuum. Eorum enim munus est, non solum imagines rerum admittere; sed & easdem cognoscere, sentire atq[ue] dijudicare. Memoriæ vero opera in eo consistit, ut species à Phantasia ad se delatas conservet & ad nutum illius, dum iterum opus est, suæq[ue] permittunt vires, instar famulæ promat ac producat. Et hæc breviter dicta sunt de existentia sensuum internorum eorumque distinctione & numero. Quæ etiam infra, DEO volente, in specialioribus evadent clariora.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Sensu Communi.*

#### §. I.

**Q**via in superioribus demonstratum est omnino dari sensum communem, distinctum non solum à sensibus externis, verum etiam à Phantasia & facul-

facultate intelligente, ideo multis explicare verbis, non ducimus necesse, ipsam *definitionem sensus communis*, quam vocare consuetum est *nominalem*, cum facile illa cuivis esse potest in propatulo. Tantum illud monere volumus, hunc sensum dici communem, non ideo, quasi versaretur circa obiectum aliquod universale, cum sensus sit singularium, facultatis vero intelligentis sit ex collectione singularium, conceptus formare universales. Neque ex hoc nomine concludere licet, hunc sensum magis commune habere objectum, quam reliquos sensus externos, cum etiam illi commune habeant objectum; sed ideo nomine communis venit, quod sese indifferenter habeat ad omnia objecta sensuum externorum, non solum enim ad sensum communem deferuntur colores, sed etiam sapores, soni, odores, & cereræ qualitates, quae in sensus incurunt externos. Nam si quis aliquod objectum nempe hominem sibi representet, non modo vultus colorem, & corporis statuam

sibi intueri videtur, sed etiam odorem, quo  
perfunditur, olfacere, loquentem audi-  
re, cibos, quibus vescitur, gustare, indus-  
menti mollitatem, aut asperitatem tangere.  
Dn. Ant: LeGrand. in suis institutio-  
nibus Phil. p. 470.

## §. II.

Transimus itaque mox ad defini-  
tionem sensus communis realem, de-  
scribentes eundem: quod sit *sensus inter-  
nus omnium externorum sensuum objecta  
beneficio organorum in cerebro appre-  
hens & discernens*. Non multâ opus  
est operâ in conceptibus explican-  
dis convenientiæ & disconvenientiæ in  
data hac definitione; cuivis enim ean-  
dem perlegenti apparent, vocem sensus  
genus constituere legitimum, additur  
præterea quod sit sensus internus, ut  
justè discernatur à sensibus externis, si-  
quidem organa cognoscendi habet hic  
sensus magis recondita, quam alias sen-  
sus exteriores.

Conceptum disconvenientiæ seu  
iplam differentiam constituunt verba in  
definitione seqventia: Ubi attendimus  
primò sensus communis objectum, qvod  
dicimus esse objecta externorum sen-  
suum. Qvomodo autem hæc ad sensus  
interiores pervenire possint, non facilē  
definiri vel intelligi potest, nisi animum  
nostrum adplicemus ad considerandum  
structuram atque dispositionem corpo-  
ris animalis, & qvomodo illud cum sua  
forma est unitum, præcipue autem  
hic oblervari mererentur ipsa organa  
sensuum externorum, nisi præsuppo-  
neremus illa, qva maximam partem,  
nota esse, ex aliorum nuper in lucem  
editis scriptis. Tacere nihilominus non  
possimus, compagem corpoream uti ex  
Anatomicis constat, ita esse confabrica-  
tam, ut à qvavis extrema corporis par-  
ticula excurrant atque protendantur  
certi nervuli, venulæ atque musculi,  
qvæ omnia qvasi ex industria in cere-  
bro coëunt, & sunt instar vehiculorum,

per

per quæ nuntii illi mentis nostræ, spiritus neimpè animales à cerebro (ubi sedem sensuum interiorum esse diximus) ad reliquias corporis descendunt partes, & iterum ad cerebrum adscendunt. Horum nervorum in cerebro concursum ita describit Dn. Le Grand: p: 411. *A cerebro septem paria nervorum derivantur, quæ versus diversas corporis partes tendunt: Primum par, est nervorum Opticorum. Secundum par oculis movendis auxiliatur. Tertium & quartum gustui inserviunt. Quintum auditui. Sextum per collum excurrit, & in alios exiguos nervos subdividitur, qui separatim ad cor, pulmones, ventriculum, jecur, lienem, intestina, & partes ceteras, quæ in ventre tam superiori quam inferiori continentur. Septimum par movet lingvam.* Commoveatur itaque textura corporis aut spirituum compages, dum objectum extremitates organorum tangens, speciem sensilem illis communicat, deinde undulatione quadam motus ille ab objecto proiectus in momento ad cerebrum, commune sensi-

sensorium traducitur. Nam spiritus in sensus exterioris organo, velut in statione positi, characterem seu speciem ab objecto impressam in organis sensuum externorum excipiunt, eamque ad sensorium transmittunt commune. Sic E. G. corpuscula rei sapidæ, afficiendæ lingvæ idonea, meatus lingvæ subeunt, & dispersa per membranam, ejus nervulos movent, mox quoque in instanti eadem imago sensorio offertur communi, per nervos gustatorios, qui à cerebro in palatum & lingvæ tunicam derivantur, læsis autem vel male dispositis hisce organis, impediri quoque necessum est sensationem interiorem. Qvod observavit Columbus in sectione cujusdam, qui in vita, vitrum, saxa, lapides, ligna, viva animalia, lutum, carbones absq[ue] sensu devoraberat, in quo nervos gustatorios non ad lingvam aut palatum; sed ad occipitum reptasse, vidit: ut ex Columbo notavit Fridem: Bechman: in System: Phys. p. 685. Eodem modo etiam objecta aliorum sensuum ex-

externorum communicantur internis,  
atque in sensorio coëunt cummuni, qvod  
etiam similitudine satis eleganti expli-  
cat Dan: Hartnaccius in Admir: Phyl:  
p. 557. dum in hæc erumpit verba: *quem-  
admodum in centro linea omnes à circumfe-  
rentia ductæ comprehenduntur: ita in  
sensu communi sensuum externorum omnium  
operationes & objecta simul cognoscendo  
concurrunt.*

### §. III.

Qvandoquidem jam dictum atque  
probatum est, sensus communis ob-  
jectum esse idem qvod sensuum exter-  
norum; jam ulterius dispiciendum est  
in quantum ille ab his dependet, & si ali-  
qvando acciderit sensum aliter judica-  
re, qvam alias requirit natura ipsius ob-  
jeclii, cui tunc causa adscribenda, sen-  
sibus externis an internis? Nam in  
præcedentibus dictum est, objecta ex-  
teriores partes organorum feriendo,  
speciem sui communicare, qvæ postmo-  
dum ope spirituum animalium per

gradus tandem adscendit ad sensum supremum. Jam notum est ipsum objectum, positâ justâ distantiâ, medio legitimo, ceterisqve requisitis, non posse non sibi similem imaginem organis imprimere sensoriis. Nihilominus tamen longè diversa de iisdem objectis diverso tempore terunt homines iidem judicia. Sic cibus qvi jejunio gratus fuit, depasto potest esse fastidio. Sic quoqve qvæ utero laborant, cibos, qvos gustant, amaros esse arbitrantur, noxiaqve ipsis qualitate imbutos esse videntur. Hinc & ex ejusmodi exemplis nonnulli ansam acceperunt dubitandi de reali qualitatum in objectis existentia. Sed pace eorum existimare nobis licebit omnino rebus sapidis inesse saporem, si vel nunquam poros vellicarent lingvæ aut palati. Imprimunt autem particulæ sapidæ speciem sensilem organo gustatorio proportione ac dispositione nervorum pororumq; lingvæ. Dum enim nimium aret lingva, omnibusque vacuum est humoribus

ribus palatum, tunc minimè resolvi lingvæque poris spongiosis insinuari possunt particulæ sapidæ. Nec si pori nimio repleti sint humore, variisque turgeant corporum aliorum vaporibus, saporem ingesti cibi percipere potest lingua. Sic quoque morbo laborantes, dulcia judicant esse amara, & vice versa, causam ponendam esse puto, partim in maligna ac præternaturali organorum dispositione, partim etiam in aliis noxiis humoribus, qui lingvæ obsident extremitates, & advenientibus feso admiscent esculentis, eademque tam tetro infestant saporem. Adeò ut, ex hisce omnibus atque similibus concludere licet, sensum communem ab externis dependere, nullamque aliam posse formare speciem, quam quæ externis est impressa, & propterea raro ullius erroris originem illi esse attribuendam.

## §. IV.

Sed accidere potest, ut illi, quibus membrum aliquod præcisum est, quandoque dolorem in parte abscissa imaginem

nen

nentur sibi sentire, quemadmodum in  
 Hist: Nat: p: 405. retinet Ant: Le Grand:  
 quod in Delphinatu, nobili cuiusdam feminæ  
 amputatum erat alterum crurum, quod  
 gangrena invaserat; sed ita solerter, ut cruris  
 amissio ne illi in suspicionem venerit, fallente  
 eam crure ligneo, quod pannis involutum  
 Chirurgi apposuerant, diu tamen post abscis-  
 sionem conquerebatur se puncturis & acerbis  
 cruciatibus affligi, non in crure modo, sed &  
 in ipsis digitis, nec ab illo questa desit, etiam  
 postquam ipsi res detecta est. Hic sanè dif-  
 ficilius est judicare, unde sentui comuni-  
 orta sit idea de hocce dolore, non enim  
 impressa fuit primum sive cruri ampu-  
 tato, sive digitis. Et si vel maximè cruri  
 esset communicata, tamen ad sensorium  
 commune perferri non potuisset, ab-  
 sentibus spiritibus animalibus, nervisque  
 abscissis. Videtur itaq; imago illa dolo-  
 ris prius non fuisse in sensu externo. Sed  
 ingeniosè huic difficultati parat reme-  
 dium modo citatus Auctor, ostendendo  
 talem esse coporis fabricam, ut nulla  
 pars

pars ejus, ab aliis partibus nonnihil remota, tangi vel moveri possit, qvin pariter etiam agitantur partes intermediae; qvod in fune extenso observare licet, cujus si unum extremum tangatur, alterum qvoqve moveri necessum est. Itaque mulier illa nominata cruris pedisqve dolorem sentire necessum habebat, cum nervi, qvi ex cerebro sese extendere solebant ad pedem, jam terminarentur circa genu, eundemqve motum retinebant nunc læsi, ac habuerant crure salvo. Qvamvis itaque sensus doloris non ortus fuerit in pede ipso, utpotè jam abscisso; nihilo minus tamen originem suam fuit natus in iisdem nervis, qvi ex cerebro ad pedem sese extendebant, adeoq; concessio eodem motu organorum, eadem concedi debet in sensu communis idea.

## §. V.

Dictum est præterea in definitione, qvod munus suum exequatur sensus communis in cerebro, qvod qvidem

eò facilius jam probare possumus, qvō  
 sæpius in antecedentibus est ostensum, or-  
 gana sensuum externorum, nexus adeò  
 necessario per nervulos, spiritusque a-  
 nimales cohærere. Verum num in toto  
 cerebro hoc suum peragat officium sen-  
 sus hic, vel in aliqua cerebri parte  
 suas exerat vires facultas sentiens, id  
 sane explicare longe est difficulti-  
 mum. Notant Anatomici cerebrum  
 divisum esse in partes anteriorem &  
 posteriorem, & quidem ita, ut illa po-  
 ris innumeris & cavitatibus duabus sit  
 notabilis; hæc autem poris similiter,  
 & cavitate una hiet. Supra meatum ista-  
 rum civitatum glandularm Pinealem, vul-  
 go Conarion dictam reperiri adfirmant.  
 Atque in hac glandula quidam Philo-  
 sophi sedem esse sensus communis opi-  
 nantur. Et quidem rationibus haud  
 exiguis persuasi, nempe quod hæc glan-  
 dula in medio cerebri omnes sensuum im-  
 pressiones excipiat, & quod spiritus ex  
 omni parte cerebri in eam incurrit; quia  
 pensilis est, & ad omnem motum expe-  
 di-

dita; adeò ut ad nutum animæ quoqvò  
versum infleßatur, passionumq; æstus  
& phantasmatum cursus illam in o-  
mnes partes versent ac determinent.  
Qvod si qvid reminisci velimus, mens  
illam huc atqve illuc detorquet, donec  
spiritus per illam subeuntes, in eum ce-  
rebri locum incurvant, in quo rei vesti-  
gium delitescit. Huc etiam accedit, eam  
glandulam unicam esse, ut species per  
geminos sensus acceptæ in eadem con-  
jungantur. Differenter ingeniosissimo  
Dñ: Ludov: DeLa Forge in tractatu de  
mente humana. p. 118. & seq.

## §. VI.

Verum huic adsertioni utut inge-  
niosæ, fortiter sese opponunt alii, eamq;  
non nisi pro nudo agnoscunt commento,  
præcipue, qvia nec est unica, cum multis  
eiusmodi glandulis abundet cerebrum.  
Nec est, ut vulgus sibi persuadet, in  
meditullio cerebri pensilis, sed arte-  
riis & venis, imò & plexui membranoso,  
qui Choroides dicitur, affixa, nul-

lisque nervis aut fibris suspensa. Deinde ostendunt ventriculos cerebri non esse promptuaria qvædam spirituum animalium, qvi hanc glandulam jugi motu vel flatu qvodam impellant; sed cerefus humor, per eam cerebri cavitatem, qvæ una est, licet in varias partes divisa, defluit per infundibulum qvoddam in subjectam glandulam, qvæ in basi cerebri sita est, & pituitoria dici solet Qvæ omnia sane apud multos tantum valuerunt, ut sententia hæc de sede communis sensorii non aliter qvam loco hypotheseos accipiatur. Quid de tam difficulti controversia sit sentiendum, ego profecto mearum non esse virium definire sincerè confiteor. Doctiorum itaque experimentis eandem decidendam relinquo, non tamen dubitans, qvin præcipuæ animæ sentientis functiones intiores ibi exerceantur, ubi spiritus sunt puriores & magis elaborati, ubi in certum ordinem digeri possunt, & non temerè vagantur aut fluctuant, ubi denique sunt nervorum origines. Qui desi-

desiderat tanquam in tabella summariam  
videre functionum sensus communis,  
adeat institut: Phyl: Kippingii p. 330 ubi  
dicit: quod. I. *Sensibus externis commu-*  
*nicet Spiritus animales, quando enim iste*  
*spirituum influxus cessat, cessant una operatio-*  
*nes sensitivæ, ut in somno cum vaporibus obstru-*  
*untur nervi II. Ut sensum externorum o-*  
*perationes percipiat. III. Ut objecta in se*  
*recepta, suo judicio, discernat, monstratque co-*  
*lorem differre à sono, sonum ab odore. &c.*

## CAPUT TERTIUM

### De Phantasia

#### §. I.

**S**implicissimè sic per DEI gratiam ex-  
plicatâ naturâ sensus interni prioris,  
transitum facimus ad alterum, nempe  
Phantasiam, in quo sensu omnem qua-  
si industriam, omnesque vires exper-  
tam fuisse naturam, certum eqvidem  
est. Tot enim est involuta tricis ut  
doctioribus quoque negotium facescat  
maximum. Quantum ipsius vocis con-  
cernit originem, est ipsa Graca, na-  
ta-

tales namque suos acceptos refert vox Phantasiaz vocabulo græco φαντασίω, apparere facio, idque ex precipuo Phantasiaz officio. In hac namque tanquam in summo gradu magis conspicuæ sunt species sensiles, quam in sensibus inferioribus. Quippe non hic per Phantasmam intelligitur, vel apparatus, vel ostentatio, vel spectrum; multo minus ratio corrupta, quæ est Phantasticorum atq; à recto iudicio deflectentium. Uti hæc uberiori effert explicatione Adm. Reveren. Theol: Prof. And. Wanochius in Tratatu de facultate imaginativa pag. 17. & seq. Sed hic notat Phantasia facultatem versandis speciebus sensibilibus aptam, sive in animantibus, sive hominibus, & sic non strictè, sed latè & adæquatè intellecta.

## §. II.

Ita vero accepta Phantasia accuratissimè potest definiri, quod sit *Sensus internus species à sensu communis ad se delatas diutius retinens, diligentius examinans, novasq; inde*

inde eliciens. In præsenti hac allata definitione, observandum est Phantasiam dici sensum internum, propter organum seu subiectum. quod non aliter quam sensus communis agnoscit, aliquantò reconditum, ut ostendatur discrimen inter hunc sensum & externos, visum, auditum & ceteros. Differentia præterea inter alterum sensum internum, communem scil. & Phantasiam, ponunt verba in definitione sequentia: ubi dicitur Phantasiam esse sensum species à sensu communi delatas retinentem atq; examinantem. Sensus enim communis species quidem sensuum extenorū recipit easque à se invicem discernit, accuratiusq; earundem judicium Phantasiæ, utpotè sensui adhuc superiori relinquent, quæ ad objecta etiam absentia suas protendit vires. Hinc Zabarella inde facult: lib: c. 12. dicit: *Facultas imaginativa res quoque absentes imaginari potest: etenim necessarium quidem est eam moveri primum ab aliquo externo sensu; sed postquam semel apprehendit, & idolum impressum in memoria,*

potest illud idem sibi saepe imaginari, etiam  
absente objecto materiali. Adeo ut vel hinc  
pateat planissimè differentia sensuum  
singulorum, scil. internorum & externo-  
rum; hi ab objectis afficiuntur tantum  
præsentibus, quod cum illis etiam sensus  
communis habet commune, quippe quo-  
rum terminos res tantum præsentes  
metiuntur. Phantasia vero omnem ex-  
haurit temporis latitudinem. Et ejus  
famula est memoria species receptas  
& dijudicatas retinens & conservans.

### §. III.

Definitionem Phantasiæ commode  
excipit enodatio causarum. Dum au-  
tem causæ efficientis aggredimur ex-  
plicationem, incidere potest dubitatio,  
utrum causa efficiens proximè ad  
DEUM divinaqve sit referenda Prin-  
cipia, an verò partim ad DEUM, par-  
tim etiam ad vires dotesqve naturæ. Sed  
ni fallor, non erit multum operæ in hoc  
nodo solvendo, adhibendum, si mox  
attendantur vires animæ sensitivæ, in  
pri-

prima creatione concessæ, quantum illa per has in organis benè dispositis naturali modo efficere valeat. Et eqvidem plurimis imaginationis effectibus producendis, quæ tam in brutis quam hominibus observantur, haud impar erit solers naturæ industria, ut postea plenius exponetur.

#### §. IV.

Qvæ autem imaginationes omnem vim antecedunt humanam, DEUM vel Diabolum pro Causa & Principio agnoscunt, quippe quæ, aut Divino aut Diabolico accepta referenda sunt instinctui. *Illum* quod spectat ad forum Theologicū est referendus, utpote qui Numinis cœlesti adserendus, cognitionemque è lumine fluentem naturali longo post se intervallo relinquit. Sicut Prophetis & Apostolis, ac per Urim & Thumim sacerdotibus variis modis facta est revelatio. Calov. de Rev:div: & plura alia quæ literæ tam sacræ quam profanæ testantur. Nullius enim tanta est imaginationis vis, ut sine peculiari motione atq; instinctu

Spiritus Sancti, quæcunque tandem fuerint,  
 quæ Sacrae Pande&ct;æ vastissimo suo com-  
 plectuntur ambitu, vel verbis eloqui,  
 vel literarum consignare valeat monu-  
 mentis. *Hunc* DEI hominumq; hosti inten-  
 sissimo, malorumq; omniū architecto ver-  
 futissimo diabolo imputamus, qui ex po-  
 testate à DEO O. M. ut scelerum omniū  
 justissimo vindice permisſā, credulis ho-  
 minum mentibus imponit, extremeque  
 impios vexat, & pravas suggerit ima-  
 ginationes, quibus interdum homines  
 Magi & Sagæ in aliam quamcunque for-  
 man vel speciem transmutantur, & mul-  
 ta alia in gratiam mancipiorum suorum  
 impia efficit molimina. Qvarum rerum  
 exactiorem expositionem, ut non adeo  
 nostri instituti ratio requirit, nec res an-  
 gusta permittit, ita hic lubentes omitten-  
 dam censemus.

## §. V.

Sine ulteriori explicatione causæ  
 Phantasiæ per accidens, pergamus ad  
 illa quæ magis nostro conveniunt  
 pro-

proposito, visuri qvænam maximè sit  
causa Phantasiæ naturalis: ubi mox il-  
lius operationes adscribendas esse re-  
mur ipsi animæ sensitivæ facultati co-  
gnoscenti, cum in omnibus animalibus  
vim deprehendamus Phantasiæ, & qvod  
sit omnino impossibile, ut sola materia  
aut ejus structura, qvamvis artificiosa,  
tam nobili sufficiat effectui producen-  
do. Ideoqve nobis persuademus, qvod  
anima seu forma animalis cujusqve  
Phantasiæ causa sit proxima; sœpius e-  
nim jam est inculcatus ordo atq; proces-  
sus specierum per organa sensuum exter-  
norum, ad sensum Communem, & indè ad  
Phantasiam, adeo ut organa externorū  
sint instar causæ sine qua non idearum  
in Phantasia ortarum. Qvod autem a-  
ëtus seu gradus Phantasiæ concernit, tum  
illi à nonnullis plures, ab aliis vero pauci-  
ores adferuntur. Doctiss: Dn. D. Danh:  
in collegii Plycologici Disp: 4. Qyatvor  
ejusdem facit aëtus seu officia. Qvo-  
rum I. est, species sensiles depurare & conver-  
tere in naturā Phantasmatis. II. species à se ipsâ

*formare, etiam sensatas, id quod sit in somno.*  
*III. est, ē rebus perceptis elicere notitiam sen-*  
*sualēm utilis & inutilis. IV. imperare locomo-*  
*tivæ, ut fugiat vel persequatur aliquid. Præ-*  
*terea etiam sunt actus Phantasie vel*  
*simplices vel compositi, quorum illi 4.*  
*fere eadem habent officia; hi subdivi-*  
*duntur in elicitos, quibus unum ex al-*  
*tero elicitor; & formativos, quibus va-*  
*riæ rerum imagines in quamcunque spe-*  
*ciem formantur.*

### §. VI.

Sed siquidem notum est, opera-  
tiones facultatis cognoscens animæ sen-  
sitivæ, ejus esse indolis, ut quemadmo-  
dum non soli veniunt fabricationi tribu-  
endæ corporis; ita nec soli menti vel ani-  
mæ adscribendæ, cum partim organorum  
ope, partim etiam operâ ipsius animæ  
producantur. Statuimus itaque opera  
Phantasie in immensum promoveri  
partim per spiritus animales, partim et-  
iam per bonam ipsius cerebri aliorum-  
que nervorum & musculorum disposi-  
tionem. Sunt namque spiritus anima-  
les

les, qvos antea vehicula specierum sensibilium novinavimus, corpora longe subtilissima, qvæ non solum cerebrum (qvod secundum descriptionem De la Forge, nihil aliud est qvam congeries filamentorum tenuium, perqvam mollium, flexibilium atqve subtilium, qvæ uno extremo terminantur in ejus ventriculis, & altero, adhærescunt alicui parti, sive extra sive intra cranis) sed & qvam celerrime atqve rapidissime per poros, plexus, tenuissimasqve nervorum fibrillas, pro inclinatione Phantasiæ, has illasve corporis partes occupant, pervolant, distendunt, coarctant, variaqve ratione movent; & vicissim ab externo aliquo objecto moti, hoc illove modo interiorem istam cerebri partem afficiunt, ut menti occasionem dent, per imaginationem, aliam atqve aliam formandi ideam.

### §. VII.

Et hoc posito fundamento, non erit difficile perplurimas explicare operationes Phantasiæ, qvæ, ignorato mu-

mutuo illo commercio, qvod vim imaginativam inter, atque organa sensoria, nec non spiritus animales intercedit, ægre admodum, aut forte nunquam feliciter enodari possent. Hinc namque reddi ratio potest, qvomodo homo per *actum compositum formativum*, illa sibi imaginari potest, qvæ secundum totum illud, qvod Phantasiæ repræsentatur, nunquam exstitit, nedum in sensibus fuerit externis, utpote Hippocentaurum, Scyllas, Chimeras, &c. quæ utut quoad eorum compositionem in sensibus nunquam fuerint ; ambigi tamen non potest, quin eorum partes, ex quibus Phantasia ejusmodi simulacra format, aliquando fuerint in sensu externo ; ut E. g. mons & aurum non rarò sensibus nostris objiciuntur, ideoque facile has ideas componere potest imaginatio atque montem concipere aureum. Hinc reddi potest causa, cur *mulier quædam*, cujus mentionem facit Ant. le Grand. in Hist. anim. *quæ in absentia mariti, pudore abjecto, alteri se submisit prolemque est*  
*en-*

enixa, adultero non similem, sed absentis mariti imaginem prorsus referentem. Quam causam Thomas Morus eleganter hoc depinxit modo :

Qvos ante Conjunx quatuor  
 Natos Sabine proculit,  
 Multum esse dissimiles tui,  
 Tuos nec ipse deputas.  
 Sed, quem tibi puellulum  
 Enixa jam nuperrime est,  
 Solum tibi simillimum  
 Pro quatuor complecteris,  
 Adulterinos quatuor  
 Vocas, repellis, abdicas.  
 Atqui graves tradunt sophi,  
 Quodcumque Matres interim  
 Imaginantur fortiter,  
 Dum liberis datur opera,  
 Ejus latenter, & notas  
 Certas & indelebiles  
 Modoque inexplicabili  
 In semen ipsum congeri.  
 Quibus receptis intime  
 Simulque concrecentibus  
 A mente matris insitam

Natus refert imaginem.

Quum tot abesses milibus,

Dum gignit uxor quatuor,

Quod esset admodum tui

Secura, dissimiles parit.

Sed unus omnium hic puer

Tui refert imaginem,

Quod mater, hunc dum concipit,

Sollicita de te plurimum,

Te tota cogitaverat,

Dum pertimescit anxia,

Ne tu Sabine incommodus,

Velutque lupus in fabulam

Supervenires interim.

Facile ostendit hoc exemplum eam esse Phantasiæ vim in spiritus animales alias que corporis operationes, ut easdem mirum in modum valeat determinare. Et sanè qui hoc ipsum inficiari non dubitat, nescio quid causæ putet esse, quod peculiaribus notis seu characteribus fœtus sœpiissime notantur ob imaginationes matrum. Dum namque haec rem aliquam vehementer vel appetentes, vel aversantes, partem aliquam cor-

corporis suit tangant. v.g. crus, femur, vel dorsum, &c. mox fœtus eadem inuretur notâ. Ut si qvæ vehementer appetat *pomum*, & brachium suum tangat, omnino animadvertisit characterem eundem in prole tandem reperiri, præcipue si appetitum illum senserit, fœtu adhuc tenello existente, dum cutis aut membrorum mollitiei aliqua imprimi potest nota. Causa est quod imago matris cerebro impressa motu spirituum ad infantis partem defertur, propterea quod eadem dispositio, quæ matris cerebro inest, illique istius fructus desiderium movet, in infantis quoque cerebrum transit, & parti signatae respondeat. Unde mater se in illa parte fricans, quo tempore istiusmodi cupidine teneatur, imaginationis suæ effectum illuc producit. Hanc namque eandem ob causam dicit quoque idem citatus Author, nobilem quandam fœminam, quæ suum antea fregerat brachium, etiam infantulum genuisse cum brachio fracto. Siquidem quodvis membrorum infantis,

tis unicuique matris membro respondeat, & utriusq; fibræ & humores continuuntur. Eadem vi gaudere Phantasiam in Brutis, dubitare nos non sinit Patriarcha Jacobus, qui arte quadam singulari fecit, ut totus fere grex ovium discolorem ederet fœtum.

§. VIII.

Ex his quæ jam dicta sunt quodammodo intelligi posse speramus quæ sit potentia Phantasiæ in partes corporeas; restat jam ut ulterius dicamus quantum bona Corporis dispositio, spirituum animalium subtilitas, organorumque harmonia operationes Phantasiæ promovet, vel quantum impeditur eadem, ubi hæc omnia desunt. Notum enim est, quod in Homine longe major sit ingenii diversitas & varietas, quam in ullo genere Brutorum, unde Philemon apud Stobæum, serm. 2. *Si triginta milia vulpium quis congreget, unam naturam omnibus cernet inesse, modumque vitae & tenorem parem;* nostrum autem quot corpora numero, totidem est & vite rationes cernere.

Nec

Nec simplici aut uniformi omnes cupidine agitantur; sed multiplici, variequè mixto, imò idem homo sæpe sibi dissimilis, & quod hoc tempore concupivit, ab eodem alio tempore summoperè abhorret. Nec minor in studiis, institutis, & ad exserendum animi vigorem inclinationibus varietas, quæ in infinitis fere vitæ generibus cernitur, sicut & amplius Edon Neuhusius ingenia depinxit humana. Quam varietatem animæ præcisè adscribere non sustinemus. Ad severare enim audemus animas omnes, seu Hominū seu Brutorum qvoad omnes suas Perfectiones à natura acceptas prorsus esse æqvales. Omnem autem qvam in ipsis deprehendimus inæqvalitatem, corporis adscribendam esse varietati. Unde patet qvarè sangvinei semper amabilia sibi imaginantur, qvare bilosi ad iram propendeant & proclives sint, cur melancholicorum semper tristes Phantasiæ oberrant species, qvare deniq; metus phlegmaticos huc atque illuc pro-

pellat. Variant namque hæc imaginationis effecta, prout variant in animali spiritus, corporisque structura, unde phantasia in imaginando dependet. Hic sanè nec incommodè amplissima illa explicari posset materia, qvænam potissimum sint illa media, qvæ imaginacionem aliquo modo juvant, qvæ etiam ē contrario impediunt, in quantum eandem promovent, vel peculiaris seculorum spiritus, vel certus terrarum seu locorum situs, vel fortunæ fors atqve constans varietas, vel denique ætatum affectuumqve multiplex discrimen. Ex qvibus fontibus doctissimus ille Barclajus in suis Iconibus præcipue & qvidem eruditè ac exquisitè tam varietatem qvam felicitatem ingeniorum at imaginationis derivare est annixus. Quin & exponi hic commodè posset in imensum etiam phantasiam posse determinari ab alimentis, qvibus nutrimur, ab ipso ferè conceptionis tempore; ab ambiente aëre, à proba institutione, multisqve aliis, qvibus recensendis hic super-  
 sedet.

sedemus. Sed imbecillitatis ingenii, nec non subsidiorum nostri nobis consciī defectus, hanc tam laudabilem operam aliis relinquimus perscrutandā ac amplificandā. Qui autem hæc & alia ad hanc rem spectantia scire gestiat, illorum redditur peritior ac certior perlegendo præter modo citat: Barclaj: etiam experientissimos: Dn. Majorem atque Huartum in suis Scrutiniis ingeniorum.

### §. XIX.

Illud autem fateri quasi necessitas mihi imponit, quod ignoratis hisce, tantum non omnibus, quæ ad has potius, quam alias imaginationes phantasiam propellunt, semper in tenebris nos hæsiros circa causas illarum, quæ huic ut plurimum adscribere solemus; Physici namque est in explicatione aliquis effectus naturalis, non subfistere in cognitione causæ proximæ; quin & ad alias quoque easque diversas & remotiores, suas dimittere tenetur cogitationes; adeo ut non sufficiat dixisse, multorum hominum phantasie in somno ob-

oberrare species funerum, caliginis,  
 tenebrarum, rerumque aliarum tristi-  
 um. Alios vero per somnia videre res  
 lætas, ut: lusus, saltationes; s̄vaves ami-  
 corum confabulationes audire, iisdem-  
 que ad satietatem usq̄e interesse; q̄via  
 hic temperamento gaudet sangvineo;  
 ille vero melancholico. Sed ulterius veræ  
 inqvirendæ sunt causæ, cur hic magis  
 sit q̄am ille sangvineus; an ex cœco for-  
 tunæ id factum sit impetu? vel erran-  
 tis naturæ veniat adscribendum cursui?  
 sed cum neutrū horum adseri possit;  
 num ergo cœlo, vel ambienti aëri, vel  
 situi locorum, vel semini aut nutrimento,  
 undē vitam habemus, vel educatio-  
 ni seu informationi, vel denique omni-  
 bushilce causis simul, aut nonnullis tan-  
 tum, & q̄ibus præcipue? Qvorum o-  
 mnium cognitio sanè non sine multa  
 experientia, crebrisq̄e & adcuratis  
 meditationibus hauriri potest. Undē  
 fit qvoq̄e qvod multorum circa has  
 res eludat operam difficultas adeo  
 perplexa.

Facilè qvidem videre potest L. B.  
nos non occupari circa consideratio-  
nem somniorum qvæ ut plurimum pi-  
orum imaginationibus suggerit naturæ  
dilector & moderator DEUS O. M.  
multò minus nos jam sollicitos esse, de  
Magicis, qvibus Diabolus aut per se  
terret homines, vel iis imponit; vel e-  
jus vices peragunt nefarii atqve sce-  
lesti homines; sed hic ejusmodi, qvæ  
meras naturales agnoscunt causas,  
somniorum fieri mentionem, dum sci-  
licet phantasia sensibus externis qvie-  
scentibus, illas pervolvit species, qvæ  
interdiu sensibus externis lese ingesse-  
runt; ejus causæ non ineleganter  
meminit Claudianus l. 3. præfationis.  
dicendo:

*Omnia qvæ sensu volvuntur vota diurno,*

*Tempore nocturno reddit amica quies.*

*Venator defessa thoro dum membra reponit,*

*Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.*

*Judicibus lites, aurigæ somnia currus*

*Venaqve nocturnis meta cavitur equis.*

Gaudet amans furto: permittat habita merces.

Et vigil et apes querit avarus opes.

Me quoque Musarum studium sub nocte silenti  
Artibus innumeris solicitare solet.

Causa harum in Phantasia operationum  
haud difficulter ex illis, quæ antea in sensu  
hujus explicatione observata sunt, intel-  
ligi potest, quod nempe spiritus anima-  
les vehicula sint specierum sensibilium,  
& cum non possunt non illi, poros cere-  
bri interdiu percurrentes, vias sibi a-  
perire, & facile eundem motum reti-  
nere, quiescentibus sensibus externis,  
quem objectum iisdem impressit vigi-  
lantibus. Unde mirum non est, Spiritus,  
qui eodem modo nocte suum percur-  
runt iter ac interdiu, eosdem permea-  
re poros, eandem quoque phantasiæ i-  
maginationis sistere materiam. Et hoc  
sommiorum genus procu' dubio expe-  
rientur saepius Malancholici, & illi qui  
duriori gaudent cerebello, quam san-  
gvinei; cum penes illos non tam faci-  
le novas sibi moliri vias possunt spiri-  
tus, ac apud illos, qui mollius calidiusq;  
ha-

habent cerebrum, quod levissimo cui-  
vis spirituum incursum vix resistere valet.

§. XI.

Præter hanc quam modo dedimus  
somniorum causam etiam aliæ investi-  
gari possunt, & quidem ex constitutione  
corporis sive lano, seu præternaturali mi-  
nusque vegeto; sic dum accidit nimia ve-  
hemensque turgescentia sanguinis; ut spi-  
ritus solito vehementius sedem Phanta-  
siæ pulsent, ordinatum tamen introi-  
tum per poros cerebri, sive propter hu-  
jus duritiem, sive ob suam multitudinem  
aut crassitatem sibi aperire non valeant,  
facile fieri potest, ut ejusmodi imagi-  
nes sistantur facultati imaginatrici, ut  
vis fiat locomotivæ, homo hac agita-  
tione motus ex suo lecto surgat, admiri-  
randis suis affectibus, variisque opera-  
tionibus alios in sui trahat admiratio-  
nem. Dici hic quoque commodè pos-  
set, quomodo multæ species ex memo-  
ria inter dormiendum in Phantasiæ trans-  
migrant gremium, multorumque sunt  
causæ somniorum, nisi partim id nobis in-

ficiaretur studium brevitatis, partim publicæ hanc operam relinquere decrevimus disquisitioni.

### §. XII.

Ex his aliquatenus liquere speramus quod nullo modo ex somniis aliquid determinari vel conjici possit de rebus futuris contingentibus quæ extra illam, qui somnio defungitur, evenient, ( loquimur tantum de somniis quæ natales suos viribus debent naturalibus ) quippe ut dictum antea, nihil unquam est in imaginatione, quod non prius in sensibus fuit externis; at cujus oculi adeo sunt acuti, ut futura contingentia prospicere possint? imo ipsum intellectum multis modis Phantasiam suis antecellentem perfectionibus, ob multiformem suam inconstantiam, quâ evidenti destituuntur causarum nexu, rarissime vel forte nunquam firma aliqua futurorum contingentium manet cognitio. Si vero queratur num somnia aliquid faciant ad manifestationem qualitatum corporis ejus qui somniat. Tunc sanè extra omnem

mnam est dubitationis aleam, qvod per  
 eadem s̄æpenumerò probabiliter ad mi-  
 nimum corporis dignosci potest consti-  
 tuio. Cujus rei testes sunt conimbris-  
 censes, dicentes: qvod per *Somnia* qvæ ex  
 affectu corporis vel cælesti influxu obveniunt,  
 possumus probabilem conjecturam aliquorum  
 effectuum capere; ut certa commotione bilis  
 correptum iri febri vehementiori ægrotum, &  
 ex appulsa humoris vel alterius ejusmodi qua-  
 litatis, qvæ antequam pluvia decidat aërem  
 imbuunt, futuram esse pluviam. Ex sacris ve-  
 rò literis edocti sumus, DEUM nun-  
 quam somnia aliqua immisisse, nisi cum  
 sanctissimam suam voluntatem de rebus  
 futuris, mortalibus manifestare volu-  
 erit. Qvod denique somnia Diabolica  
 concernit, tum iisdem omnem esse sub-  
 trahendam fidem adfirmamus, qvippe  
 qvæ ex patre mendacii proveniunt. Et si  
 vel aliquem effectum habuerint, erit ille  
 vix idem, quem habitura viſa sunt; utut  
 enim Diabolus ad fallendum sit com-  
 positissimus, nihilominus tamen plura  
 ignorat quam noverit; Qvin & infinitis

modis valet rerum omnium Gubernator,  
effectus impedire, qvi ex causis fluunt  
naturalibus, in qvibus verutissimi illius  
impostoris maxima consistit cognitio.

## §. XIII.

Circa finem exiguae hujus nostræ  
opellæ pium erit ac utile qvam paucissi-  
mis delineare usus illos, qvos non sal-  
tim ad sapientiam comparandam hu-  
manam confert, verum & in commu-  
ni hominum societate combinanda præ-  
stat Phantasia, qvo procliviores ad gra-  
tias ingentes calidaqve vota DEO  
O. M. reddenda omnium nostri eva-  
dant animi, pro tam nobili deposito ge-  
neri animalium clementer concessio.  
Transeo hic nobiles illas, sæpeqve ad-  
miratione dignissimas operationes, qvi-  
bus animalia Bruta ope Phantasiæ fun-  
guntur; Et mox illud dico, qvod sine  
hac facultate, seu vi imaginatrice, vix  
illa obtineri possit in Philosophicis scien-  
tia; cum volente sic naturâ, à sensu com-  
muni nec ideæ singularium intelligenti  
facultati immediate fisi possint; qvip-  
pe

pè qvæ phantasmata à phantasia producta necessario sibi postulat atqve reqvirit deferri. Multo minus universaliū, sine sensuum hāc Dominā, haberī possit scientia, utpote qvæ in singularibus fundata sunt, nec essentiam suam à singularibus separatam obtinent.

### § XIV.

Postqvam casu nunqam satis deplorando concrearam illam sapientiam eximiamqve mentibus nostris congenitam aptitudinem, rerum etiam abditissimarum cognoscendi naturam amisiimus, ut impossibile sit aliquem mortaliū omnia addiscere posse ; Cum *Ars sit longa, vita brevis; nec omnia possumus omnes;* in immensum etiam prodest, ad rerum omnium in Repub: adqvirendā atq; retinendam cognitionem, Phantasiæ multiplex varietas, qvâ unus ad Philosophiæ Theoreticæ perscrutanda mysteria natus videtur, alter Praxeos usibus destinatus, tertius Aulicorum accommodatus censetur ingenio; nonnullos artibus manuariis addiscendis idoneos, alios rerum mili-

militarium cupidos, reliquos aliis munis  
 feliciter obeundis aptos fingere cœle-  
 stibus fatis, benigniorique naturæ pla-  
 cuit genio. Adeo ut contra neminem  
 tam parca in ipsum natura, aut tenuis  
 fortuna sit, quæ illum per se ita conde-  
 innat, ut nullis usibus tandem animum  
 suum applicare possit. Quid hæc vari-  
 etas efficit in ædificandis ac amplifi-  
 candis societatibus imperiisque, iisque  
 indissolubili confociationis vinculo con-  
 jungendis, clarius sanè est, è monumentis  
 historiarum, quam ut multâ egeat ex-  
 plorationis luce. Vix tamen puto quod  
 verius testimonium hæc assertio indi-  
 pisci possit, quam ex historia Roma-  
 na, ubi videre licet, quid fecit Romu-  
 li ardor circa nativitatem imperii;  
 Religio Numæ, ut intra obedientiæ li-  
 mites ferocem populum metus divinæ  
 coërceret iræ, virtusq; & amor honesta-  
 tis accenderentur; Fortitudo Tullii, ut li-  
 mites urbis & potentiaæ extenderentur,  
 & suppellectilem necessariam, cui legiti-  
 mo pretio coënendo non sufficiebant  
 opes

opes, per vim sibi compararet, populus ad angustiam redactus; Anci studium ædificandi, & Magnificentia Lucumi, ut Principis Populi emineret majestas atque dignitas; Prudentia Servii, ut vires Reip. ex censu, in propatulo essent; Dominium Tarquinii, ut Populus severitate atque injuriis agitatus, libertatis nobilitatem condigno metiri disceret pretio. Quæ omnia cum unius hominis vires & ætatem longe excedant, multorum itaque operâ, volentibus ita fatis, effecta sunt. Extollamus itaque Divini Numinis sapientiam, quæ adeo clementer dona sua distribuit. Precemur insuper ut dignetur ineffabili suâ misericordiâ DEUS T. O. M. omnium nostrum imaginatiōnes & cogitationes ita dirigere, ut semper ea nobis imaginemur, easque animo nostro figuremus species, qvæ unice in Dei creatoris nostri cedere possint honorem.

SUMMO NUMINI GLORIA!

*Politissime & Præstantissime*

Dn. GUZELI,

*Amice Probatisime,*

**Q**uam cupidis semper, GUZELI, fo-  
veris ulnis

Artes; id satis hæc docta pagella  
docet.

Certe jam felix imples pia vota Parentū,

Quorum lætitiae causa perennis eris.

Macte bonis avibus studiis intendere  
mentem!

Sic meritoque brevi præm iadigna  
feres.

Interea, voveo, sis felix semper ubi-  
que!

Sic mea Musa canit, mox abitura,  
Vale!

JOHAN. HELINUS.